

CLAUDIEN

PANEGYRIQUE POUR OLYBRIUS ET PROBINUS (279 vers)

PANEGYRICUS DICTUS OLYBRIIO ET PROBINO CONSULIBUS

v.1 Sol, qui flammigeris mundum complexus habenis
 2 volvis inexhausto redeuntia saecula motu,
 3 sparge diem meliore coma, crinemque repexi
 4 blandius elato surgant temone jugales
 5 efflantes roseum frenis spumantibus ignem.
 6 Jam nova germanis vestigia torqueat annus
 7 consulibus, laetique petant exordia menses.
 8 Scis genus Auchenium nec te latuere potentes
 9 Anniadae : nam saepe soles ductoribus illis
 10 instaurare vias et cursibus addere nomen.
 11 His neque per dubium pendet Fortuna favorem
 12 nec novit mutare vices ; sed fixus in omnes
 13 cognatos procedit honos. Quemcumque require
 14 hac de stirpe virum : certum est de consule nasci.
 15 Per fasces numerantur avi semperque renata
 16 nobilitate virent, et prolem fata secuntur
 17 continuum simili servantia lege tenorem.
 18 Nec quisquam procerum temptat, licet aere vetusto
 19 floreat et claro cingatur Roma senatu,
 20 se jactare parem ; sed prima sede relicta
 21 Aucheniiis, de jure licet certare secundo :
 22 haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton
 23 siderea cedunt acies, cum fratre recusso
 24 aemulus adversis flagraverit ignibus orbis ;
 25 tum jubar Arcturi languet, tum fulva Leonis
 26 ira perit, Plaustro jam rara intermicat Arctos
 27 indignata tegi, jam caligantibus armis
 28 debilis Orion dextram miratur inertem.
 29 Quem prius adgrediar ? Veteris quis facta Probini
 30 nesciat aut nimias laudes ignoret Olybri ?
 31 Vivit adhuc conpletque vagis sermonibus aures
 32 gloria fusa Probi, quam non ventura silebunt
 33 lustra nec ignotam rapiet sub nube vetustas.
 34 Illum fama vehit trans aequora transque remotas
 35 Tethyos ambages Atlanteosque recessus.
 36 Audiit et gelido si quem Maeotica pascit
 37 sub Jove, vel calido si quis conjunctus in axe
 38 nascentem te, Nile, bibit. Virtutibus ille
 39 Fortunam domuit numquamque levantibus alte
 40 intumuit rebus. Sed mens circumflua luxu
 41 noverat intactum vitio servare rigorem.
 42 Hic non divitias nigrantibus abdidit antris
 43 nec tenebris damnavit opes. Sed largior imbre
 44 sueverat innumeras hominum ditare catervas :
 45 quippe velut denso currentia munera nimbo
 46 cernere semper erat, populis undare penates,
 47 adsiduos intrare inopes, remeare beatos.

48 Praecepta illa manus fluvios superabat Hiberos
 49 aurea dona vomens (si quis tellure revulsa
 50 sollicitis fodiens miratur collibus aurum ?) :
 51 quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis
 52 effluxere decus, quanto pretiosa metalli
 53 Hermi ripa micat, quantas per Lydia culta
 54 despumat rutilas dives Pactolus harenas.
 55 Non, mihi centenis pateant si vocibus ora
 56 multifidusque ruat centum per pectora Phoebus,
 57 acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes
 58 rexerit, ad summi quotiens fastigia juris
 59 venerit, Italiae late cum frena teneret
 60 Illyricosque sinus et quos arat Africa campos.
 61 Sed nati vicere patrem, solique merentur
 62 victores audire Probi. Non contigit illi
 63 talis honos, prima cum parte viresceret aevi,
 64 nec consul cum fratre fuit. Vos nulla fatigat
 65 cura diu majora petens, non anxia mentem
 66 spes agit et longo tendit praecordia voto :
 67 coepistis quo finis erat. Primordia vestra
 68 vix pauci meruere senes, metasque tenetis
 69 ante genas dulces quam flos juvenilis inumbret
 70 oraque ridenti lanugine vestiat aetas.
 71 Tu, precor, ignarum doceas, Parnasia, vatem,
 72 quis deus ambobus tanti sit muneris auctor.
 73 Postquam fulmineis inpellens viribus hostem
 74 belliger Augustus trepidas laxaverat Alpes,
 75 Roma Probo cupiens dignas persolvere grates
 76 sedula pro natis dominum flexura rogando
 77 ire parat. Famuli currum junxere volantem
 78 Impetus horribilisque Metus, qui semper agentem
 79 proelia cum fremitu Romam comitantur anhelos,
 80 sive petat Parthos seu cuspede turbet Hydaspem.
 81 Hic ligat axe rotas ; hic sub juga ferrea nectit
 82 cornipedes rigidisque docet servire lupatis.
 83 Ipsa, triumphatis quae possidet aethera regnis,
 84 adsilit, innuptae ritus imitata Minervae.
 85 Nam neque caesariem crinali stringere cultu
 86 colla nec ornatu patitur mollire retorto ;
 87 dextrum nuda latus, niveos exerta lacertos,
 88 audacem reteggit mammam, laxumque coercens
 89 mordet gemma sinum ; nodus, qui sublevat ensem
 90 album puniceo pectus discriminat ostro.
 91 Miscetur decori virtus pulcherque severo
 92 armatur terrore pudor, galeaeque minaci
 93 flava cruentarum praetenditur umbra jubarum,
 94 et formidato clipeus Titana lacessit
 95 lumine, quem tota variarat Mulciber arte :
 96 hic patrius Mavortis amor fetusque notantur
 97 Romulei ; pius amnis inest et belua nutrix ;
 98 electro Thybris, pueri formantur in auro ;
 99 fingunt aera lupam ; Mavors adamante coruscat.
 100 Jam simul emissis rapido velocior Euro
 101 fertur equis ; stridunt Zephyri cursuque rotarum
 102 saucia dividuis clarescunt nubila sulcis.
 103 Nec traxere moras, sed lapsu protinus uno,
 104 quem poscunt, tetigere locum, qua fine sub imo
 105 angustant aditum curvis anfractibus Alpes

106 claustraque congestis scopulis durissima tendunt,
107 non alia reseranda manu, sed pervia tantum
108 Augusto geminisque fidem mentita tyrannis.
109 Semirutae turres avulsaque moenia fumant ;
110 crescunt in cumulum strages vallemque profundam
111 aequavere jugis ; stagnant immersa cruore
112 corpora ; turbantur permixto funere Manes.
113 Haud procul exhausto laetus certamine victor
114 caespite gramineo consederat arbore fultus
115 adclines umeros ; dominum gavisam coronat
116 terra suam, surguntque toris majoribus herbae.
117 Sudor adhuc per membra calet creberque recurrit
118 halitus et placidi radiant in casside vultus :
119 qualis letifera populatus caede Gelonos
120 procubat horrendus Getico Gradivus in arvo ;
121 exuvias Bellona levat, Bellona tepentes
122 pulvere solvit equos, immensaque cornus in hastam
123 porrigitur tremulisque ferit splendoribus Hebrum.
124 Ut stetit ante duces discussas Roma per auras,
125 conscia tunc sonuit rupes et inhorruit atrum
126 majestate nemus. Prior hic : "O numen amicum",
127 dux ait, "et legum genetrix longeque regendo
128 circumfusa polo consors addicta Tonantis,
129 dic agedum, quae causa viae ? Cur deseris arces
130 Ausonias caelumque tuum ? Dic, maxima rerum !
131 Non ego vel Libycos cessem tolerare labores
132 Sarmaticosve pati medio sub frigore Coros,
133 si tu, Roma, velis. Pro te quascumque per oras
134 ibimus et, nulla sub tempestate timentes,
135 solstitio Meroen, bruma temptabimus Histrum".
136 Tum regina refert : "Non me latet, inclute rector,
137 quam tua pro Latio victricia castra laborent,
138 nec quod servitium rursus furiaeque rebelles
139 edomitae paribus sub te cecidere triumphis.
140 Sed, precor, hoc donum cum libertate recenti
141 adicias, si vera manet reverentia nostri :
142 sunt mihi pubentes alto de semine fratres,
143 pignora cara Probi, festa quos luce creatos
144 ipsa meo fovi gremio. Cunabula parvis
145 ipsa dedi, cum matris onus Lucina beatum
146 solveret et magnos proferrent sidera partus.
147 His ego nec Decios pulchros fortesve Metellos
148 praetulerim, non qui poenum domuere ferocem,
149 Scipiadas Gallisque genus fatale Camillos.
150 Pieriis pollent studiis multoque redundant
151 eloquio ; nec desidiis dapibusque paratis
152 indulgere juvat nec tanta licentia vitae
153 arripit aut mores aetas lasciva relaxat :
154 sed gravibus curis animum sortita senilem
155 ignea longaevo frenatur corde juvenus.
156 Illis, quam propriam ducunt ab origine, sortem
157 oramus praebere velis annique futurum
158 doveveas venientis iter. Non inproba posco,
159 non insueta dabis : domus haec de more requirit.
160 Adnue : sic nobis Scythicus famuletur Araxes,
161 sic Rhenus per utrumque latus, Medisque subactis
162 nostra Semiramiae timeant insignia turres ;
163 sic fluat adtonitus Romana per oppida Ganges".

164 Ductor ad haec : "Optata jubes ultroque volentem,
 165 diva rogas ; non haec precibus temptanda fuissent.
 166 Usque adeone meam condunt oblivia mentem,
 167 ut pigeat meminisse Probi, quo vindice totam
 168 vidimus Hesperiam fessasque resurgere gentes ?
 169 Ante dabunt hiemes Nilum, per flumina dammae
 170 errabunt glacieque niger damnabitur Indus,
 171 ante Thyesteis iterum conterrita mensis
 172 intercisa dies refugos vertetur in ortus,
 173 quam Probus a nostro possit discedere sensu".
 174 Dixerat et velox jam nuntius advolat urbem.
 175 Extemplo strepuere chori collesque canoris
 176 plausibus impulsus septena voce resultant.
 177 Laetatur veneranda parens et pollice docto
 178 jam parat auratas trabeas cinctusque micantes
 179 stamine, quod molli tondent de stipite Seres
 180 frondea lanigerae carpentes vellera silvae,
 181 et longum tenues tractus producit in aurum
 182 filaque concreto cogit squalere metallo :
 183 qualis purpureas praebat candida vestes
 184 numinibus Latona suis, cum sacra redirent
 185 ad loca nutricis jam non errantia Deli,
 186 illa feros saltus et desolata relinquens
 187 Maenala lassato certis venatibus arcu,
 188 Phoebus adhuc nigris rorantia tela venenis
 189 extincto Pythone ferens ; tunc insula notos
 190 lambit amica pedes ridetque Aegaeus alumnis
 191 lenior et blando testatur gaudia fluctu.
 192 Sic Proba praecipuo natos exornat amictu,
 193 quae decorat mundum, cujus Romana potestas
 194 fetibus augetur. Credas ex aethere lapsam
 195 stare Pudicitiam, vel sacro ture vocatam
 196 Junonem Inachiis oculos advertere templis.
 197 Talem nulla refert antiquis pagina libris
 198 nec Latiae cecinere tubae nec Graia vetustas.
 199 Coniuge digna Probo : nam coetibus extat
 200 femineis, quantum supereminet ille maritos.
 201 Ceu sibi certantes, sexus quid posset uterque
 202 hunc legere ad herum. Taceat Nereida nuptam
 203 Pelion, o duplici fecundam consule matrem
 204 felicemque uterum, qui nomina parturit annis.
 205 Ut sceptrum gessere manu membrisque rigentes
 206 aptavere togas, signum dat summus hiulca
 207 nube Pater gratamque facem per inane rotantes
 208 prospera vibrati tonuerunt omnia nimbi.
 209 Accepit sonitus curvis Tiberinus in antris,
 210 ima valle sedens. Adrectis auribus haesit,
 211 unde repentinus caeli fragor. Ilicet herbis
 212 pallentes thalamos et structa cubilia musco
 213 deserit ac Nymphis urnam commendat erilem.
 214 Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu
 215 caeruleis infecta notis, reddentia patrem
 216 Oceanum ; crispo densantur gramine colla ;
 217 vertice luxuriat toto crinalis harundo,
 218 quam neque fas Zephyris frangi nec sole perustam
 219 aestivo candore mori ; sed vivida frondet
 220 aequaeum complexa caput. Taurina levantur
 221 cornua temporibus raucos sudantia rivos ;

222 destillant per pectus aquae ; frons hispida manat
 223 imbribus ; in liquidos fontes se barba repectit.
 224 Palla graves umeros velat, quam neverat uxor
 225 Ilia percurrens vitreas sub gurgite telas.
 226 Est in Romuleo procumbens insula Thybri,
 227 qua medius geminas interfluit alveus urbes
 228 discretas subeunte freto, pariterque minantes
 229 ardua turrigerae surgunt in culmina ripae.
 230 Hic stetit et subitum prospexit ab aggere votum :
 231 unanimos fratres cuncto stipante senatu
 232 ire forum strictasque procul radiare secures
 233 atque uno bijuges tolli de limine fasces.
 234 Obstipuit visu suspensaque gaudia vocem
 235 oppressam tenere diu. Mox inchoat ore :
 236 "Respice, si tales jactas aluisse fluentis,
 237 Eurota Spartane, tuis. Quid protulit aequum
 238 falsus olor, valido quamvis decernere caestu
 239 noverit et ratibus saevas arcere procellas ?
 240 En nova Ledaeis suboles fulgentior astris,
 241 ecce mei cives, quorum jam Signifer optat
 242 adventum stellisque parat convexa futuris.
 243 Jam per noctivagos dominetur Olybrius axes
 244 pro Polluce rubens, pro Castore flamma Probinii.
 245 Ipsi vela regent, ipsis donantibus auras
 246 navita tranquillo moderabitur aequore pinum.
 247 Nunc pateras libare deis, nunc solvere multo
 248 nectare corda libet. Niveos jam pandite coetus
 249 Naides, et totum violis praetexite fontem.
 250 Mella ferant silvae ; jam profluat ebrius amnis
 251 mutatis in vina vadis ; jam sponte per agros
 252 sudent irriguae spirantia balsama venae !
 253 Currat qui sociae roget in convivia mensae
 254 indigenas fluvios, Italis quicumque suberrant
 255 montibus Alpinasque bibunt de more pruinas :
 256 Vulturinusque rapax et Nar vitiatus odoro
 257 sulphure tardatusque suis erroribus Ufens
 258 et Phaetonteae perpessus damna ruinae
 259 Eridanus flavaeque terens querceta Maricae
 260 Liris et Oebaliae qui temperat arva Galaesus.
 261 Semper honoratus nostris celebrabitur undis
 262 iste dies, semper dapibus recoletur opimis".
 263 Sic ait et Nymphae patris praecepta secutae
 264 tecta parant epulis ostroque infecta corusco
 265 umida gemmiferis inluxit regia mensis.
 266 O bene signatum fraterno nomine tempus,
 267 o consanguineis felix auctoribus annus,
 268 incipe quadrifidum Phoebi torquere laborem.
 269 Prima tibi procedat hiemps non frigore torpens,
 270 non canas vestita nives, non aspera ventis,
 271 sed tepido calefacta Noto ; ver inde serenum
 272 protinus, et liquidi clementior aura Favoni
 273 pratis te croceis pingat ; te messibus aestas
 274 induat autumnusque madentibus ambiat uvis.
 275 Omni nobilior lustro, tibi gloria soli
 276 contigit, exactum numquam memorata per aevum,
 277 germanos habuisse duces ; te cuncta loquetur
 278 tellus ; te variis scribingent in floribus Horae
 279 longaue perpetui ducent in saecula fasti.